

patam, ut jus bestiis assertum, ejusque male coherentia dirueret fundamenta, in quo postea spicilegium quasi instituens ipsum sequutus est SAMUEL PUFFENDORF, e qui simul pro excusandis Jctis Romanis adfert: vocabulum Juris ab iis hic improprie sumi, quod etiam notat HOPPIUS. f Non sine ratione hoc ex loco SAMVEL WERENFELS g suspicatus est: neque Jctos logomachiis carere, id enim ex historia philosophiæ stoicæ, unde hæc haud dubie hausit Ulpianus, sat luculenter patet. Enimvero, Stoici cum dicerent naturæ convenienter vivendum esse, naturam distinguebant in communem & propriam: illam vocant rectam rationem per omnia commeantem imo mundi reetricem: hanc vero hominis rationem existimabant, unde CICERO b sic esse faciendum docet, ut contra *universam naturam* nihil contendamus, & ea tamen conservata *propriam* sequamur: quorsum præterea legendus est LIPSIVS. i Atque hinc enatum est duplex *jus nature*, alterum *communis*, quo pertinet id quod brutis tribuunt, alterum *proprie*, quod homines solos attinet, cujusque ex Chryssippi *περὶ νόμου* libro definitionem adfert MARTIANUS k JC. quod observavit Illustris SCHILTE-RVS. l Videtur itaque Ulpianus (utrum eundem rite intellexerit Tribonianus non disquiro) per jus, quod naturæ vocat, intellexisse jus illud universæ naturæ Cleanthis, per mox additum jus gentium autem, jus naturæ propriæ Chryssippi, quod nimirum in hoc ab illo recedit, quod illud omnibus animalibus, hoc solis hominibus inter se commune sit, & hoc denique *vel primarium vel secundarium dicitur* Tribonianistis, ad §. 2. I. de I. N. G. & C.

D 2

quæ

- e *De jur. Nat. & Gent. L. II. c. III. §. 4.*
- f *Ad 7. tit. de I. N. G. & C.*
- g *De logomachiis eruditorum. c. II. §. 4. p. 26.*
- b *L. 1. Offic. c. XXXI.*
- i *Manud. ad philos. stoic. L. II. diff. XVI. XVII.*
- k *L. 2. π. de LL.*
- l *Loc. cit. c. II. §. I.*